

Alte Drucke

**CATECHESIS || DAVIDIS || CHYTRÆI. || RECENS
RECOGNI=||TA, ET MVLTI DE-||finitionibus aucta. ||**

**Chyträus, David
Argentorati, 1589**

VD16 ZV 30868

PRIMVS LOCVS DE DEO.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149135

PRIMVS LO.

CVS DE DEO.

Quid est Deus?

Simplicissima & optima Definitio Dei est SYMBOLVM APOSTOLORVM vel Nicenum: quod iuniores omnes accuratè ediscere, & nos grandiores etiam quotidie & attentè recitare vtilissimum est, vt nos ad cogitationem de Deo, & de tribus personis, de beneficiis Filii Dei, & omnibus Dei operibus, de Creatione, de Redemptione, de perpetua Ecclesie collectione, de remissione peccatorum, & vita æterna, exuscitemus.

Deinde & vsitata descriptio DEI, eruditè & piè à D. Præceptore composita, ediscatur, ijsdè verbis, quibus in loco de DEO tradita est.

DEVS est essentia spiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, immensæ potentiae & sapientiæ: Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit: & Filius imago patris coeterna: & Spiritus sanctus, procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas certo verbo, quòd

C

Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto, cōdiderit & seruet cœlum & terram & omnes creaturas, & in genere humano, cōdito ad imaginem suam. & certam obedientiam, elegerit sibi Ecclesiam, vt ab ea hæc vna & vera diuinitas, patefacta certis testimoniis, & per verbum traditū Prophetis & Apostolis, agnoscatur, inuocetur & colatur, iuxta verbum illud diuinitus traditū: & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios deos, & hæc vera diuinitas in vita æterna celebretur.

Quod si prolixior hæc Dei descriptio alicui videtur, hac breviori vti poterit.

DEVS est essentia spiritualis, vnica, æterna, sapiens, iusta, misericors, omnipotens, Pater æternus, & Filius imago patris, & Spiritus sanctus à patre & filio procedens, patefacta in creatione mundi, & verbo Ecclesiæ tradito, iuxta quod solum ab hominibus agnosci & coli vult, & in omni æternitate celebrari.

Quod sunt personæ diuinitatis?

Tres.

Pater,

DE TRIBVS PERSONIS. 19

Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Quid est Persona?

Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio.

Cur tantum tres personae diuinitatis agnoscendae & inuocandae sunt, & non plures vel pauciores?

Quia Deus sic se patefecit in Baptismo Christi, & in institutione Baptismi nostri, & aliis testimoniis. Matth. 28. Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Fundamentum autem totius doctrinae Theologicae est haec sententia. Quod non aliter sit de Dei essentia, & voluntate & cultibus ipsi praestandis sentiendum aut docendum: quam sicut se Deus in suo verbo, per Prophetas & Apostolos tradito, patefecit.

Deut. 4. 12. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Esai. 8. Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eorum matutina lux.

C ij

Recita Descriptiones & discrimina trium personarum diuinitatis?

PATER est prima persona diuinitatis, quæ ab æterno genuit Filium coeternum, imaginem suam, & vnâ cum Filio & Spiritu sancto omnes res ex nihilo condidit & conseruat.

FILIUS est secunda persona diuinitatis, genita ab æterno à patre, & est substantialis & integra imago æterni patris, qui Filius, postea fuit intercessor inter Deum & primos homines lapsos, & constitutus Mediator, assumpsit ex virgine Mariâ humanam naturam, factus est víctima pro nobis, & per eum ac propter eum solum datur ab æterno patre remissio peccatorum, iusticia, & vita æterna.

SPIRITVS sanctus est tertia persona diuinitatis, ab æterno procedens à patre & filio, quæ in prima conditione fouit & viuificauit omnes res nascentes, & postea omnibus temporibus mittitur, vt ministerium docendi in Ecclesia gubernet, & per Euangelium corda piorum regeneret

regeneret & sanctificet, hoc est, nouam
lucem veræ agnitionis Dei, veram con-
solationem in omnibus ærumnis, veram
iusticiam, vitam & læticiam in eis accen-
dat.

*Testimonia de diuinitate Filij Dei
Domini nostri Iesu Christi.*

Rom. 9. Christus est super omnia De-
us benedictus in secula.

1. Iohannis 5. Sumus in vero (Deo) in filio ei-
us Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita æ-
terna.

Ierem. 23. Inuocabunt eum, I E H O V A
iusticia nostra.

Iohan. 20. Dominus meus & Deus meus.

Iohan. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Et verbum erat Deus.

*Quare Filius Dei nominatur
λόγος seu Verbum.*

Primum respectu æterni Patris, quia est
imago patris, in qua integrè lucet sapientia &
bonitas ac essentia Patris: sicut noster sermo
cogitationum mentis effigies est.

Deinde respectu nostri, quia primus dixit humano generi promissionem Euangelij, ex arcano sinu patris prolatam, & subinde in colloquijs cum Patribus eam repetiuit, vt Iohan. 1. dicitur: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

II. Quia per ministerium huius sui verbi seu Euangelij efficax est, & dicēdo, seu verbo suo, veram agnitionem æterni patris, veram consolationem & vitam accendit. Matth. 11. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Ebr. 4. Vnum verbum Dei & efficax. Psal. 119. Verbum tuum viuificat me.

Testimonia de diuinitate Spiritus sancti.

Matth. 28. Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Cum enim Baptismus sit fœdus cū vero Deo: nosq; non solum in nomen Patris & Filii, verum etiam Spiritus sancti baptizemur: necesse est Spiritum sanctum etiam eadem diuinitate, potentia, maiestate & gloria cum æterno Patre & Filio præditum, & vtriq; ὁμοῦσιον esse.

Deinde

Deinde multa sunt testimonia, in quibus po-
lam DEI, & Domini seu IEHOVÆ nomen
Spiritu sancto tribuitur. 1. Cor. 12. 6. 3. 2. Cor.
3. Act. 5. 28. Esa. 6. Postremo, propria solius di-
uinæ & omnipotentis naturæ opera & affectio-
nes, ut creatio, regeneratio, viuificatio, item,
omniscientia, omnipræsentia Spiritui sancto in
sacris literis ascribuntur. Iob. 33. Spiritus
Dei fecit me. Iob. 26. Spiritus Dei ornauit cæ-
los. Psalm. 33. Verbo Domini (λογω τῆ πα-
τρὸς) cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius (nō ^{angeli}
creato, sed creante) omnis exercitus (omnes stel-
lae) eorum. Et Ecclesia canit:

Veni creator Spiritus,

Imple superna gratia,

Quæ tu creasti, pectora.

Quæ persona diuinitatis assumpsit hu-
manam naturam?

Secunda persona, videlicet Filius Dei,
assumptam ex substantia virginis Mariæ
humanam naturam personali vnione si-
bi copulauit, ita ut sit vna persona Iesus
Christus noster Mediator, Redemptor,
Iustificator & Salyator.

C iiij

Quid est Incarnatio Filij Dei?

INCARNATIO FILII DEI

est unio personalis duarum naturarum, diuinæ de substantia æterni patris ab æterno genitæ, & humanæ ex substantia Mariæ virginis assumptæ, facta mirando consilio diuinitatis, in Christo Mediatore, vt genus humanū ab ira Dei, & æterna damnatione sufficienti λύτρω redimeretur.

Quid est Mediator?

MEDIATOR est persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati & ire Dei constituta, vt iusticiæ Dei satisfaciat, sustineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro nobis, applicet sua merita, & inuocantiū gemitus & preces exaudiat. Ebr. 9. Ioh. 17.1. Timoth. 2.

Cur necesse fuit in Christo Mediatore nostro duas naturas, diuinam & humanam, inter se unitas esse?

Causæ

Causæ ab Athanasio in libro de incarnatione Verbi, & ab alijs recitantur.

Primò **Hominem** esse oportuit, quia ^{cur hominē} homo peccauerat, à quo pœnam persolui ordo iusticię postulabat. Deinde, vt pati & mori pro homine posset. Item, vt **Φιλανθρωπίαν** suam erga homines ostenderet assumptione humanę naturę: eaq; horribiliter à diabolo conuulsam & oppressam, & assumptione sua & colloca-
tione ad dextrā Dei Patris glorificaret. ^{integritati restitueret, et.}

Deinde oportuit esse Deum, vt **λύτρον** seu precium peccatis æquiualens, & meritum nouę iustitię & vitę sufficiens esse, ac vt molem irę Dei & pœnarum sustinere, & mortem ac diabolum vincere, & iusticiam ac vitam æternam restituere posset. Item, vt ingredi in sanctum sanctorum, introspicere pectus patris, & corda inuocantium, & ubiq; Ecclesię adesse, inuocantes exaudire, defendere, seruare, & sapientiam Dei, ac Spiritum sanctum petentibus donare posset. Cūque in primā creatione Filius Dei **λόγος**, vitam & lucem, quę fuit imas

cur filius sit
in carnali

go Dei, hominibus tribuisset: congrue-
bat sapientiæ diuinæ, vt per idem ver-
bum, quo condita est, imago Dei depra-
uata in nobis restauraretur.

Quid est Christus.

officij pastis
promis est
quæ persona li-
cet ab Inri-
con mōfopa
romæ,

CHRISTVS est summus Sacerdos
& Rex Ecclesiæ: videlicet, Persona, in qua
duæ naturæ, diuina & humana, & xgē ouai dī &
Deo patri æterno, & humana ex substātia Ma-
riæ Virginis assumpta, indissolubili fœdere v-
nitæ sunt. Quæ persona immediatè à Deo ordi-
nata est, vt per Euangelion à se ex sinu æterni
patris prolatum, colligat sibi ex genere huma-
no æternam Ecclesiam: & sua intercessione,
merito, ac efficacia, remissionem peccatorum,
iustitiam & salutem æternam impetret ac do-
net Ecclesiæ: quam in hac vita Verbo & Spi-
ritu sancto regit, & aduersus diabolos ac Ty-
rannos defendit, & tandem ex morte resusci-
tatam ornabit vita & gloria æterna.

Quid est Sacerdotium Christi?

SACERDOTIVM CHRISTI
est

est officium docendi Euangelium, à se ^{pastoralis de}
 ex arcano sinu patris prolatum, & inter- ^{fidelis,}
 cedendi ac deprecandi pro toto genere
 humano in peccatum & mortem lapso,
 & offerendi sacrificiū, videlicet seipsum, ³
 quo iram Dei aduersus peccata placat, ^{fructus sacer}
 & toti Ecclesiæ remissionem peccato- ^{dotis}
 rum, iustitiam & salutem eternam meretur. Ioh. 1. 17. Ebr. 7. 9. 10.

*Quid est Regnum Christi in
 his terris?*

REGNUM CHRISTI est gubernatio Christi, sedentis ad dexteram patris, qua per ministerium Euangelii omnibus temporibus mundi, colligit sibi in genere humano, & seruat Ecclesiam, seu cœtum hominum, qui ipsum Dominum agnoscunt, & in eum credunt, cui cœtui remissionem peccatorum & æterna bona impertit, eumque solo verbo, & Spiritu sancto suo, non armis corporalibus gubernat, & oppressum cruce mi-

ce mirabiliter defendit, & tandem resuscitabit ex morte, ad vitam & gloriam æternam.

Quod est discrimen inter Christum, & Iohannem Baptistam seu cæteros sanctos?

Quatuor sunt præcipua discrimina. Primum ~~persona~~ differunt. Habitat enim diuinitas in Christo, non, vt in cæteris sanctis hominibus, tantum affectiue, & separabiliter: Sed etiam tali ratione vt Filius Dei, & natura humana assumpta, sint vna indissolubilis persona, sicut anima humana & corpus vnum hominem constituunt.

Secundò differunt officio. Solus enim Christus est Redemptor & Saluator, placans suo merito iram Dei, liberans nos à peccatis & morte, & restituens iusticiam & vitam æternam. Sancti non sunt Redemptores, sed tantum ministri verbi, per quod Christus sua beneficia

beneficia hominibus annunciat & impertit.

Tertiò efficacia. Nam Christus propria potentia efficax est per verbum, illuminans mentes vera agnitione Dei, dans Spiritum sanctum, & viuificans corda noua & æterna iusticia & vita. Iohannes Baptista & cæteri sancti, nō sunt efficaces propria potentia, sed tantum ministri verbi & Sacramentorum. *per 325*

Quartò. Christus est ἀναμάρτητος, expers omnis peccati & labis, 2. Cor. 5. 1. Petr. 3. Sancti omnes sunt peccatores. 1. Ioh. 1. Psalm. 32. & propter Christum à peccatis absoluuntur.

*Quid est Communicatio
Idiomatum?*

Est prædicatio, in qua propter personalem diuinæ & humanæ in Christo naturæ vnionem, proprietates vnus naturæ tribuitur toti personæ Christi in concreto.

Est

discrimen
Idiomatum.denotat
proprietates.

Est autem magnum discrimen Idiomatum. Quaedam enim proprietates & actiones
 1. utriusque naturae competunt: Quaedam agit aut pa-
 2. titur persona secundum alterutram naturam. Quae-
 3. dam humanae naturae proprietates essentiales
 4. & perpetuae sunt: Quaedam accidentariae &
 temporales. Diuinae naturae idiomata quae-
 1. dam Angelis etiam & hominibus ceteris:
 2. quaedam soli Christo homini communicantur.
 3. Quaedam appellationes, naturas ipsas, aut es-
 sentiales earum proprietates: Quaedam natu-
 4. ras in concreto denotant. Quaedam officij no-
 5. mina sunt, ut: Mediator, Iustificator, Salua-
 tor, quae non tantum alterutri naturae, sed toti
 personae competunt.

Sed haec à grandioribus natu reuerenter,
 pie, & sobrie cogitanda sunt.

Quis est vsus & praxis doctrinae de
 DEO & de tribus personis
 Diuinitatis?

Vt Deus recte à nobis agnoscat &
 inuocetur; seu, ut vera agnitio Dei, Timor
 et amor in illo bene sit, iustissima
 in eum pietas et fides est.

iustissimæ iræ aduersus nostra peccata, Fides seu Fiducia misericordiæ propter Filium Mediatorem promissæ, ardens Inuocatio Dei, quæpetamus nos à Filio Dei doceri & seruari & à Spiritu Dei paracleta regi & sanctificari, vera gratitudo pro summis beneficijs Dei, ac insuper primis promisso filio Redemptore, & effuso inpectora nostra spiritu sanctificante, & totius vitæ obedientia & conformitas, cum sapientia & iustitia, & cæteris virtutibus Dei, in nobis excitetur, alatur & confirmetur, non ut otiosis speculationibus & argutijs ac questionibus prophanis, quæ ab hac vera & practica Dei noticia mentes abducunt, & tamen arcanam Dei naturam non explicant, inanem ingeniorum curiositatem alamus.

contraria sunt
pijs praxi

et deinde
don beatitudinem
fidei nostre cum
sagax ratio, s. c.
salutis semper
nam.

Præcipuè autem in quotidiana Dei inuocatione hæc doctrina de DEO, de tribus personis diuinitatis, de beneficijs filij Dei mediatoris, de spiritu Gratiæ & precum, de promissionibus, de Fide, proferenda: & Inuocatio nostra ab Echnica, Turcica, Pontificia, & omnium aliarum gentium battologia segreganda est.

Quid

*Quid est vera Innocatio
DEI?*

VERA INVOCATIO DEI

est prælucente vera agnitione & fiducia
 1 Filii Dei Mediatoris petere à vero Deo,
 patre Domini nostri Iesu Christi, bona
 spiritalia & corporalia, præsentia & æ-
 2 terna, iuxta ipsius promissiones: & cer-
 tò statuere se Deo curæ esse, & à DEO
 tanquam Patre *Φιλοσόγω* preces nos-
 stras, propter Filium Dei intercessorem,
 exaudiri, & nobis salutaria tribui: ideoq;
 3 vicissim eum omnibus grati animi & o-
 bedientiæ officiis celebrare.

*Quæ sunt partes veræ Innocationis,
 quas in omnibus nostris ad Deum pre-
 cibus piè & attentè considerare
 & simul complecti ac con-
 iungere singuli de-
 bemus?*

*in hoc ob-
 jectum,*

I. Compellatio veri Dei, patris Do-
 mini

ces exaudiri propter Christum. Iacobi. 1.
Oret in fide. Ephes. 3. Per fidem aude-
mus accedere.

*que est p[er] se
non est no[n] tam
sua forma qu
ma d[omi]ni & pu
m[un]di op[er]a di-
tione, no[n] em
pi & talia p[er]
casi i[n]f[ir]mitat
bona, n[on] p[er] ea
iam ante largi-
p[er]tinet.*

VI. Commemoratio rerum petenda-
rum, quæ ab ipso Christo in septem peti-
tionibus inclusæ sunt. His gratiarum a-
ctionem pro beneficiis Dei spiritualibus
& corporalibus annectamus.

*Quod est discrimen Christianæ &
Ethnicæ, seu veræ & falsæ
Inuocationis?*

*p[er] se p[er] se
i[n] se i[n] se*

Quatuor sunt præcipua discrimina.
Christiana inuocatio ad unum & solum
verum Deum, Patrem Domini nostri
Iesu Christi, patefactum misso Filio &
dato Euangelio, directæ est. Ethnici non
unum Deum, sed commentitia numina,
Iouem, Palladem, Martem; sicut Pontis-
ficii etiam mortuos homines, Georgi-
um, Barbaram, Mariam & alios in pre-
catione alloquuntur, contra hanc æter-
nam & immotam Regulam: DOMI-

NVM

DISCRIM. VERAE ET 35

NVM Deum tuum adorabis, & illi so-
li seruiēs. Iudæi etiam & Turci, cū v-
nicus & solus sit conditor cœli & terræ
Deus, qui est Pater Domini nostri Iesu
Christi, quem ipsi ignorant, vel contus-
melia afficiunt, sibi ipsis idolum scul-
punt, quod compellant, iuxta Regulam:
Qui non honorat Filium, non honorat
Patrem. *106. f*
*Talis est Deus, & filius filius est & pater, & pater
ille conditor cœli & terræ, & filius
agnoscat, ab illis qui hunc cœli & terræ
est cognoscitur.*

Deinde Christiana inuocatio regitur
expresso mandato & promissione Dei.
Ethnici sine certo Dei verbo incertiva
gantur.

Tertio, præluet Christianæ inuoca-
tioni vera agnitio Christi & FIDES sta-
tuens se propter Filium DEI mediatos
rem certo recipi & exaudiri, iuxta pro-
missiones in Evangelio reuelatas. *Sine qua non
Deo placere et in
eius aspectu probare
audet.*

Ethnici, quia Filium Dei ignorant, &
Euangelion aspernantur, hac fide, quæ
anima & vita est pæprecaationis, prorsus
destituti sunt.

36 FALSAE INVOCAT.

Postremò, Christiani non tantum
fugacia huius vitæ bona, & liberationes
ex periculis corporalibus, sed imprimis
remissionem peccatorum, lucem Spiritus
sancti regentem mentes in agnitione
Dei & gubernatione vitæ, donationem
iusticiæ & vitæ æternæ, conseruationem
veræ doctrinæ, & Ecclesiæ defensionem
aduersus Diabolos, &c. à Deo petunt:
quæ ab Ethnicis & eorum similibus
in Ecclesia hominibus securis,

*aut si vel maxime in ne quidem optari aut
solutis et alij bonam expeti scimus.
magis à Deo petunt,
no p. illa à Diabolis quos in bonis debet,
et si vel maxime p. illa à Deo, sine agri
tione et in holatimio filij et s. magis.*

SECVN.

